Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2191
Quelle:
Copyright:

librorum. Et Capitulorum libri egregij de vita christiana appellatur. Qui liber editus est per venerabilem et singularissime doctrine virum fratrem. Symonem de Cassia. Ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini. Et nota, quod auctor huius libri de hac uita migrauit antequam librum totaliter ut presumitur compleuisset uel ipsum correxisset. Sed eius minister frater Johannes de Salerno eo mortuo pecias et carthas quas in eius archis reperit collegit. Et apposuit ad illa que auctor iam in scripta redigerat. Et istam tabulam compilauit.

DLXXVII.

46 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 264. praecedenti per omnia geminus continet *Libros* VI. *posteriores de Vita Christiana Simonis de Cassia*, et sic orditur: *Incipit liber Nonus de virtuosis et pro virtute sermonibus domini saluatoris* &c. Ad calcem *Libri* XIV. et *ultimi* legitur: *Explicit liber de vita christiana editus per Reuerendum fratrem Symonem de Cassia ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini. Anno* M° CCCC°. XXXIX. Claudunt opus *Rubricae* Capitum, sed imperfectae. Desideratur itaque in Codice nostro *Liber* XV. qui in editione principe *s. l. et a. f.* sic inscribitur: *Incipit liber quintusdecimus de iusticia christiana*, Capitibusque XLVI. definitur, et hoc epiphonemate terminatur: *Expliciunt vndecimus duodecimus terciusdecimus quartusdecimus et quintusdecimus libri de gestis domini saluatoris. Quos edidit diuini flaminis doctor Symon de cassia: ordinis heremitarum beati Augustini episcopi.* Simonis hujus prosapia Fidati, patria Umbri, vitam et scripta persequitur *J. Felix Ossinger* in *Bibliotheca Augustiniana Ingolst. et Aug. Vindel.* edita 1768. *pag.* 214. f. Fallitur tamen in eo, quod Opus nostrum a Simone non *latine* sed *italice* scriptum autumet, inductus a *Catalogo Riccardiano*, cujus *pag.* 354. occurrit: *Simone da Cascia Ordine della Vita Cristiana.* Cum enim ordo iste in Codicis titulo dicatur *Compilato — intorno agli anni Domini* MCCCXXXIII. *quando stava in Firenze predicatore*, nostrum vero Opus inceptum sit Romae *Anno Domini* MCCCXXXVIII. ut supra vidimus, patet, *Ordinem* illum italicum ad summum Operi nostro latino materiem et ansam quandam praebuisse. Quod si ex collatione confici posset, *Ordinem* illum *Bibliothecae Riccardianae* eundem esse cum *Simonis de Cassia Expositione sopra evangeli — Impresse in Firenze per Bartholomeo di Francesco de Libri* — MCCCCLXXXXVI. f. sequeretur ipsum etiam *Ordinem* nonnisi versionem esse ex Latino. F. enim *Guido Expositionis* editor in Praeloquio fatetur, se Expositiones Simonis *Vulgarizare*, i. e. in linguam vernaculam traducere. Inclinat in hanc sententiam etiam *Jac. M. Paitonus* in

Biblioteca